

non diu abfuturam vltionem Dei, quam illis imprecabatur. Ea cæcitas & inobseruantia operum ma-
nuum Dei plerunq; magnas calamitates præcessit, vt captiuitatem Babylonicam, deinde & destru-
ctionem Ierosolymæ, quæ facta est per Titum.

Vers. vlt.

Quartò, vers. vlt. orat pro populo sibi commisso, vt Deus illum seruet, nimirum ab omnibus aduersi-
tatibus, (animaduertebat enim maliciam iustorum hominum magno damno fore populo) benedi-
cat, pascat, & erigat: hoc est, vt illum bonitate sua prosequatur ac prouehat.

Egregium exemplum pij regis ac pastoris, in isto amore Dauidis erga sibi concreditum populū,
cunctis principibus & pastoribus ob oculos ponitur: non solum in eo quod simpliciter pro populo
orat, sed & in illis quæ sibi ipsi à Deo petit, nempe vt seruet, benedicat, pascat atq; erigat. Deinde & in eo
quod eos vocat *populum Dei & hereditatem Dei*. quibus titulis exprimit non solum quo loco hunc po-
pulum habeat, sed & ipsum fontem sui erga illum amoris. Conferamus huc nostri seculi principes &
Ecclesiæ pastores. Oremus ad Deum iuxta hunc versum omnes. Quisquis ista poterit in spiritu &
veritate cum Dauide dicere, hæreticus esse non poterit.

Vers. 6. 7. 8.

ALTERVM quod hoc Psalmo agit Dauid versu sexto, septimo, octauo, est suauissima gratiarum.
actio, cum exclamatione animi in laudem Dei gestientis, & quasi cum impetu quodã prorupentis:
Benedictus, inquit, Dominus. Ita solent piorum mentes, diuinam bonitatem, quam expertæ sunt, altiùs
considerantes. Sic Paulus Ephes. 1. & 2. Corinth. 1.

Pulcherrimè verò omnes gratiarum actionis partes ponit. Primùm, quod dicit *voceprecationum
suarum à Deo auditam*. Deinde, quod ab illo adiutus sit. Tertiò, quod ex eo colligit: *Dominum esse fortitudinē
& scutum suum, robur illorum*: id est populi Dei, & fortitudinem saluationum Christi sui. quibus verbis omnes
victorias diuinæ virtuti & gratiæ acceptas fert. Quartò quod dicit: *Exultat cor meum, & cantico meo lau-
dabo eum*.

Nam ita habet ordo harum rerum. Fides exercita tribulationibus, quia promissioni Dei credit,
dicentis: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te*: Deum inuocat. Deum inuocando exauditur,
exaudita iuuatur, adiuta agnoscit Deum esse scutum & fortitudinem sperantium in se, atq; ex eo ar-
dentibus affectibus ad laudandum Deum rapitur, quemadmodum promissio Dei habet: *Eruam te, &
honorificabis me*.

OBS. I.

Discamus istum fidei cursum, quibus gradibus ad laudem Dei decantandam ascendatur. Certè
qui hac via non pertingunt ad experientiam diuinæ bonitatis, vt cum Dauide dicere queant: *Dom-
nus fortitudo mea & scutum meum*: & *Quoniam audiuit voceprecationum mearum*: non poterunt etiam istud
cum illo dicere: *Benedictus Dominus, & exultat cor meum, & cantico meo laudabo eum*.

Videmus etiam hoc loco, quomodo mentes piorum inter præcandum diuinæ bonitatis & acce-
ptorum beneficiorum Dei admoneantur, & mox ad laudandum Dominū accendantur. Quid igitur
sunt nostræ preces tam frigide, vt nihil istorū sentiamus? Commodum in Ecclesia mox à præ-
catione admoneamur ad cantandum Domino. Sed quælo quotusquisq; est, qui ex animo psallat?

PSALMVS XXIX.

PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Arbitrantur Græci, Psalmū hunc ad hoc fuisse compositū, vt decantaretur in consummatione taber-
naculi. Et ob eam causam præmiserunt istam epigraphen, ἰσόδ' οὐλῶς. & vulg. Lat. In cōsummati-
one tabernaculi: cum tamen nulla sit alia inscriptio apud Ebraeos quàm ista, Psalmus Dauidis. Ha-
bet autem hic Psalm. exhortationem quandam, qua magnates & potentes ad laudandum ac celebrandum
potentiam & maiestatem Dei admonentur que sese palam in tempestatibus exerit: cuius etiam descriptio-
nem satis luculentam Propheta proponit. vt mihi præsens hic Psalmus singulari studio in eum vsu para-
tus esse videatur, vt interea dum tonitrua tempestatum audiuntur, & cuncta fulminibus & flatuum ve-
hementia concutiuntur, animi piorum ad considerationem diuinæ potentia excitentur.

VERS. I.



DATE Domino filij potentum, date Domino gloriam & potentiam.

2. Date Domino gloriā nominis eius, adorete Dominū in decore sancto.

3. Vox Domini super aquas, Deus gloriosus intonat, Dominus super a-

4. Vox Domini in virtute, vox Domini in decore. (quas multas.

5. Vox Domini confringens cedros, confringit Dominus cedros Libani.

6. Et exilire facit eas velut vitulum: Libanum & Schirion velut unicornium prolē.

7. Vox Domini scindens flammam ignis.

8. Vox Domini tremefacit desertum, tremefacit Dominus desertum Kades.

9. Vox Domini parturire facit ceruas, & denudat sylvas: & in templo eius quisque
dicit gloriam.

10. Dominus sedet in diluuiio, Dominus sedet rex in æternum.

11. Dominus dabit fortitudinē populo suo, Dominus benedicet populū suum in pace.

Vers. I.

Date Domino filij potentum.] Ebr. חבוי ליתרה בני אליים. Græc. & vulgata Latina: *Afferite Domino filij Dei*,
Sic legit & Arabs, Hieronymus: *Afferite Domino filios arietum*. Iullinianus: *Afferite Deo filij robustorum*.
Pagninus